



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

58. Epistola Cleri Gallicani ad S. D. N. Innocentium PP.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

hoc certamine, tamen si claudus recedam, neque erit mihi pede claudicare molestum, si modo datum fuerit Ecclesiae vincere. Hujus benedictionis, hujus & victoriae certum omen habeo concessam mihi, ac per me toti Diocesi à Sanctitate Vestra Jubilaei gratiam, quae humillimo ac gratiosissimo animo excepta, tot malorum pondere ferè oppressos interim nos recreavit. Multos Vobis, Pater Sanctissime, annos, & quidquid optimum apprecor, simulque Apostolicos pedes exosculor.

Datum die decimâ tertiâ mensis Aprilis anno 1682.

Sanctitatis Vestrae

*Humillimus & Obsequentissimus in Christo
Filius & Famulus*

Cerle Vicarius Generalis Diocesis
Apamiensis Sede vacante.

Documentum LVIII.

Epistola Cleri Gallicani, auctoritate Regiâ Parisijs congregati ad Sanctissimum Dominum Dominum INNOCENTIUM PP. XI.

BEATISSIME PATER.

Quam consecrandi fecimus Apostolicae Sedi canonicae obedientiae professionem, ea nos impellit, quae Parisijs jussu Regio congregati gessimus, ad Apostolatuum Vestrum referamus, gravesque merus nostros paternum in sinum effundamus: (a) *Cum enim Te Dominus gratiae suae praecipua munere in Sede Apostolica collocaverit, talémque nostris*

(a) Epistola Concilij Milevitani ad Papam Innocentium, inter Epistolas S. Augustini Epist. 92.

temporibus presterit, ut nobis potius ad culpam negligentie valeat, si apud venerationem Tuam, quae pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quam ea possit Sanctitas Vestra, vel fastidiosè, vel negligentè accipere, non ambigimus, quin magnis periculis nostris Pastoralem diligentiam adhibere digneris.

Sanè, Beatissime Pontifex, à majoribus nostris, sanctis, gravibusque viris accepimus, Regni & Sacerdotij turā piāque concordia res humanas niti: (a) Dum unum ab altero impugnatur, periculiari utrumque; eā occasione & de Regno tolli iustitiam, & de Ecclesia pacem, schismata & scandala suscitari, & fieri animarum perditionem simul & corporum; (b) Sine horum concordia res humanas nec incolumes esse posse, nec tutas. Hæc Goffridus Vindocinensis, hæc Ivo Carnotensis, sanctissimi, gravissimique Ecclesiae Gallicanae Præsules immortalibus scriptis testata reliquerunt. Hos in medium afferre, & ad Vestram Sanctitatem allegare iuvat, quos pro Ecclesiastica libertate, atque Apostolica auctoritate multa perpeffos Sancti Vestri Decessores, non tantum ut probabiles Magistros, sed ut præcipuos, singularesque filios semper habuerint. His accedat tertius Claravallis Abbas, non Gallicanae tantum, sed Universae Ecclesiae lumen, Sanctus Bernardus, ille Canonum propugnator, ac fortissimæ cuiusque sententiæ gravissimus auctor, ubi nimio rigore Regnum & Sacerdotium dividi, (c) atque *inconfutilem Christi Tunicam* scindi animadvertit, utili condescensione temperari canones supplicavit, ac pacem utriusque potestatis, quæ utramque fulciat, retineri, præsertim in Gallia, (d) ubi nullam unquam Regnum inter & Sacerdotium divisionem fuisse antiquiores Episcopi gloriati erant, ubi deni-

(a) Goffridus Vindocinensis Opusculo quarto. (b) Ivo Carnotensis Epistola 60. (c) Sanctus Bernardus Epistola 229. (d) Ivo Carnotensis Epistola 238.

denique, ipso teste Bernardo, toto orbe colliso, ipsisque Pontificibus gravi toties tempestate jactatis, non modò nullæ scissuræ factæ essent, (a) sed etiam *solerent scissura alia refarciri.*

Nec minore studio Apostolici Præsules Vestræ Sanctitatis Antecessores eam concordiam commendârunt, cum geminâ potestate res humanas regi ex sacris Litteris accuratissimè tradidère; quarum proinde concordia publicam pacem, totiûsque generis humani statum contineri certissimum sit, dicente Propheta: (b) *Ecce vir Oriens nomen ejus, Zorobabel in persona, in figura Christus, certè populi Dei Dux & Princeps; (c) Et ipse extruet Templum Domino; & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo; & erit Sacerdos super solio suo; & consilium pacis erit inter illos duos.* Stet ergo utrumque folium, alterum Principis, alterum Sacerdotis, auxilio mutuo, mutuâ consensione munitum; hinc populi salus, hinc non tantùm corporum, sed etiam animarum lucra proveniant; hinc denique res humanæ stabili, ac Deo pariter, hominibusque placitâ tranquillitate decurrant.

Quæ cum ex Patrum traditione, ipsâque adeò prophetica ac divina auctoritate descenderint, ubi eam pacem nostris temporibus occasione Regaliæ sollicitari vidimus, cœpimus cogitare, quid Majores nostri, quid antiqui Sedis Apostolicæ Antistites præscriberent, pro certo habituri, quod verbo pariter, & exemplo docuissent. Sic autem comperimus, quæ Ecclesiasticâ auctoritate, æternâ lege sancita essent, manere inconcussa; quæ Ecclesiasticâ prohibitione constarent, in his Ecclesiarum Principes multa pro tenore

lii cano-

(a) S. Bernardus Epistola 239. (b) Gelasius Papa Epistola 8. ad Anastasium Imperatorem. (c) Zachariæ cap. 6. vers. 12. & 13.

canonum districtius judicasse, multa pro temporum necessitate tolerasse, ubi non periclitatur fidei veritas, aut morum honestas, quædam instituta temperari, non cæcâ tamen & indiscretâ relaxatione disciplinæ, sed si adesse necessitas, ex qua leges quoque mutari contingeret: sanctos enim Pontifices Antecessores vestros ita præcepisse: (a) *Ubi necessitas non est, Sanctorum Patrum Decreta manere inconvertibilia*; eadem ergo Decreta ex necessitate interdum temperanda: eam verò necessitatem esse, si graves dissensiones, si turbulenti motus, tumultusque imminerent, quam *populorum stragem* Sancti Patres vocant; tunc enim Charitatem, quæ summa Ecclesiæ lex sit, alias emollire ac temperare leges, (b) ac *destrahendum aliquid canonum severitati*; ut *majoribus morbis sanandis Charitas sincera subveniat*; hinc nempe profectam, à Sanctis Patribus, ipsaque Apostolica Sede toties celebratam moderationem canonum, quæ utili dispensatione, & providâ compensatione librata Ecclesiam ædificet, propulset dissidia, Regnum & Sacerdotium firmâ pace componat.

Hæc ex Sancto Augustino, alijsque Patribus; hæc ex Sanctis Pontificibus, Leone, Gelasio, cæterisque Majores nostri didicerunt, nobisque tradiderunt: (c) *Salvo scilicet fidei fundamento, & communi morum regulâ, toleranda quedam, etiam facienda, quæ infirma videantur; hæc enim facit Charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, quæ cum infirmantibus infirmatur, cum scandalizatis uritur, & omnibus omnia fit, ut omnibus prodesse mereatur.* Quod si jus illud Regium, quam Regiam dicimus, aut Fidei fundamentis, aut morum regulis esset adversum, non illud utique sancti Pontifices doctrinâ

(a) S. Bernardus Tractatu de Præcepto & Dispensatione cap. 4. (b) Augustinus Epistola 50, (c) Ivo Carnotensis Epistola 214.

Arinâ & pietate conspicui Alexander III. Innocentius III. atque alij comprobâssent; non illud denique sacrum generale Lugdunense Concilium tot personis, totque sub titulis suâ auctoritate firmâssent. At enim extendi vetuit ad eas Ecclesias, quæ primavâ atque innatâ libertate gaudent; sed ut hanc interim quæstionem omittamus, neque minutatim verba Concilij, variôsque sensus quæque antegressâ, quæque consecuta sint, expendamus: id iane liquido constat, nullum esse periculum, ut extensum Fidei, moribusque noceat, quod illasâ Fide, salvâque morum regulâ, longè latèque propagatum, plurimas jam Regni Ecclesias occupârit; ex quo illud efficitur. Regaliâ causam, non ad (a) *Fidei*, morumque *regulam*, quæ *immobilis & irreformabilis* sit, sed ad disciplinam, quæ pro locis ac temporibus subinde mutetur, quæque temperamenta ac salubrem illam moderationem admittat, omnino pertinere.

Jam ergo constituto quæstionis statu, Beatissime Pater, quantum intelligimus, rem totam expediri haud difficile fuerit; cùm id unum inquirendum restet, justane causâ fuerit, cur post Ecclesiarum quarumdam libertatem totis sexaginta annis strenuè propugnaram, victi in eo Tribunali, quod ipsi antiquo more Regni appellavimus, acquiescere potiùs, quàm omnia commovere, Regiam potestatem cum Pontificali committere, nova denique bella ciere vellemus. Nos pacem anteponimus, nec in simili causâ piget imitari Vindocinensem Abbatem non minùs fortitudine, quàm prudentiâ clarum, cujus verbis dicimus: (b) *Habeat Ecclesia suam libertatem; sed summopere caveat, ne dum nimis emunxerit, eliciat sanguinem, & dum rubiginem de vase conatur eradere, vas ipsum frangatur.*

l i i z

Neque

(a) Tertullia, de Virginibus velandis, (b) Goffridus Vindocinensis opusculo 4.

liberata
ut
30

Neque verò publicam pacem, ac sub tanto Rege prosperum rerum Ecclesiasticarum cursum turbatum oportebat. Adhibe pias aures, Sanctissime Pontifex, & tantisper cogita, quem Regem habeamus: non invictam bello dexteram, ac decora victoriarum prædicaturi sumus pacifici Sacerdotes: habent illæ laudem suam universis Gentibus celebratam, ac pacis gloriâ cumulatam. Utinam, Beatissime Pater, rebus nostris interesse, & coram intueri posses (paternis sanè oculis dignum spectaculum) quàm benignè Optimus Princeps Episcopos audiat, quàm rebus Ecclesiæ favere, quàm bonos fulciat, quàm invictâ auctoritate frangat contumaces, quàm cœlestem illam nobis à Domino traditam potestatem intemeratam velit. Eoprotegente, Jurisdictio Episcopalis propemodùm profligata emergit è tenebris: nostris jam Decretis, nostræ auctoritati Parlamenta obsecundant, ac Regia Decreta Canonice disciplinæ ancillantur. Jam verò Hæresis quot accipit subinde salutare plagas? Quot Edictis comprimuntur? Quot amissa Tempora luget? Quantas nobilium, plebejorumque turbas ad Petri, hoc est, Christi ovile revocatas? Quid deinde referemus, ut Regius animus exolas habeat novitates omnes, nullòque Regni loco consistere patiat? Est profectò Ludovicus Magnus alter ille Mauritius à Sancto Gregorio Antecessore Vestro toties commendatus: (a) *Cujus temporibus, Hæreticorum ora conticescunt; quia eisi eorum corda in insaniam perversi sensus ebulliunt, Catholicitatem Principis tempore, prava qua sentiunt, eliqui non presumunt.*

Hæc coram admiramur, hæc luculentius Vestra quoque Sanctitas ab altissima illa, cui totus orbis subest, Petri Sede

(a) Libro 7. Epistolarum Epistolâ 48.

Sede commemorat; his Apostolicum Vestrum pectus exultat; si quid fortasse tot inter prospera emergit incommodi, non omnia proinde ad juris apices exigimus; (a) magno enim Cyrillo Alexandrino Praefule docente didicimus oeconomiam rerum plerumque cogi nos etiam a stricto & confesso Ecclesiae jure discedere. Quanti verò aestimamus illa privilegia aliquot Ecclesiarum, si emolumentis damna contendimus? Quid, quòd illud onus vix Ecclesiae sentiunt, vacantium Ecclesiarum fructibus, quos Reges vindicare fisco in Ecclesiarum longè maxima parte non dubiam consuetudine poterant, Successori reservari, rebusque ad Canonum auctoritatem Ludovici Decimi tertij augustae memoriae Edicto redactis? Quid, quòd in quibusdam Praebendis ac Dignitatibus conferendis, si quid erat asperius, nobis supplicantes, à Rege mollitum, tanti Principis pietatem, largitatemque commendat? Quid, quòd Capitulis sua jura servata, certique Judicibus praescripti limites, ne Regalia nomine omnia invadantur? Id subjuncta his litteris gesta testantur, certoque indicio sunt, quam bene illi aliqua concedantur, qui multa jam sibi possessione vindicata ultrò concedat.

Sed enim exprobrabunt, qui votis suis omnia metiuntur, leve illud quoque (sic enim sentiunt) quod Rex Christianissimus tanto studio assertum Coronae suae velit, nobis auctoribus ac flagitantibus potuisse dimitti: nae illi falsi sunt, rerumque nostrarum imperitissimi. Liceat verò nobis, Beatissime Pater, quando eo in cardine totius negotij summa versatur, paulò liberius inturbare graves illas curas Apostolicae mentis, ac jus Regaliae Francorum Regibus,

(a) Epistola ad Gennadium Presbyterum & Archimandritam.

bus, totique Regno infixum, prout nostris hominibus infitum, inditumque est, ab ortu repetere.

Sic nempe inclamant Regij Magistratus, Christianissimos Reges jam inde à Clodovæo, ac primis Christianæ Religionis exordijs, Ecclesiarum omnium, ut pietate filios, ita effusissimâ liberalitate nutritos, & Regiâ defensione propemodum Patronos, ac Tutores extitisse: ea verò, quæ Ecclesiæ in fundis haberent, teste Augustino, jure Casareo, hoc est, Regio obtineri, supremamque eorum omnium potestatem penes Reges esse. Hinc à prisca temporibus, vacantium Ecclesiarum Regiâ manu occupata bona, mox reddita Successoribus: nec à Sede Apostolica reprobata, quæ huic juri tuendo antiquissimis etiam temporibus Reges Francorum fecissent; Præbendas quoque, hoc est nativo sensu, stipendia Clericorum, partem Ecclesiasticæ possessionis ac proventus, necdum à toto discretas, si vacarent Ecclesiæ, eodem quoque jure à Principibus collatas; quarum quippe collatio & antiquo jure à solida massa decidi non posset, & recentioribus quoque juris Pontificij institutis in fructu haberetur. Hæc omnia ab antiquo Regibus de se benè meritissimis concessisse Ecclesiam, sanè consensisse, jusque illud utriusque potestatis consensione firmatum, Regiæ Majestati proprium atque congenitum ita coaluisse, ut distrahi nequeat: neque verò fas esse, ut Ecclesiæ primis Francici Imperij temporibus diverso jure haberentur, quas eadem Regiâ protectione fulciri, eadem liberalitate ditari, ejusdem Majestatis reverentiâ ac potestate contineri certum esset. Si quid ergo tristioris diversitatis exortum sit, id esse referendum ad illa tempora, quæ scissum Regni corpus, Ducumque & Comitum olim innocuo, tunc in fausto nomine avulsâ ac discreta membra vix inter se cohærent:

rent: hos enim Principes, Regalibus occupatis, sæpe etiam sine Regum conscientia relaxatis, omnia perturbasse: at postquam Regia potestas distractas Provincias ad sese revocavit, & afflictum diu, dissipatumque Regnum suum demum integrè sub uno Capite nobilissimo pariter ac valentissimo sanitatem intellexit, tunc oblitterandam, quæ laceros artus olim dehonestabat, foedam diversitatem, nec Regio juri ex antiquissimis, receptisque Regni Francici legibus, nocere potuisse possessionem intermissam, quam & per Principes sibi subditos diu retinuisent, nec ipsi unquam animo dimisissent; universasque Ecclesiæ, non tantum ad decorem, sed etiam ad robur, firmamque compagem, eodem denique jure componendas. Neque verò obstare Lugdunense Concilium, quippe quod nec Reges nominet, ex Pontificijs quoque Decretis pro sua Majestate specialiter appellandos, nec de Præbendis loquatur, & aliò verti possit; neque à Pontificibus Regibusve in quæstione Regaliæ, cum de ea maximè ageretur, memoratum, aut leviter saltem indicatum fuerit.

Hæc utcumque se habent; neque enim lubet commemorare, quæ Antecessores nostri reposuerint, aut litigare est animus coram Vestra Sanctitate pacis negotium tractaturis; hæc, inquam, adeò Regijs Magistratibus infixæ menti sedent, ut à se avelli nullâ ratione patiantur, causâque ceciderimus, eorum quoque sententiâ, qui & æquitatis laude florent, & in nostrum ordinem essent propensissimi; quâ consensione victus Rex Maximus, satisque sibi conscius, quàm ab invadendis Ecclesiarum juribus abhorreret, jus Regium putat, quod in universum Regnum penè diffusum, suo velut cursu undique protendatur, rerum similitudine, parique Ecclesiarum conditione, velut in proclive ductum.

etiam- Quid hic nobis mentis, Sanctissime Pontifex, planè simplicitérque dicemus; hæc neque omnia ut certa proponimus, nec ut erronea & fidei regulis adversa propulsumus; ac dispensationi providæ locum esse censemus, gravissimos scilicet auctores secuti Apostolicos viros Antecessores Vestros.

Prodeat sanè vir maximus, non minùs in sacris litteris, quàm in Canonum disciplina versatus Innocentius III. atque in simili causa quid agendum sit, doceat: de Regalibus agebatur; jure autem Regalium multa contineri, quæ jam Ecclesijs Regum liberalitate remissa sint, certo certius est. Primum jus procurationis, sive hospitij, quo Episcopi Abbatésque Regem domo excipere, totàmque cum ipso curiam, publicasque personas alere certis temporibus: tum jus exercitùs, quo certos milites ad Regium exercitum ducere, eosque alere deberent: & quidem occupari à Rege Ecclesiarum bona, non modò si illæ vacassent, verùm etiam si Episcopi consueta, quæ vocabant, servitia omisissent; eaque omnia ab eodem fonte Regalium existere, & perspicuum ex sese est, & ipse Innocentius profiteretur. Duo ergo Episcopi à Rege accusati, quòd illius injussu milites abduxissent, eorum Regalia manu Regià confestim invaduntur, nullà judicij formà; nec tantùm Regalia, sed etiam alia bona quæcùmque possiderent; id enim juris Regij esse Rex contendebat: Episcopi id negare, tum factum excusare, vim illatam conqueri, gravissimisque expostulationes deferre ad Innocentium. Quid ergo tantus Pontifex? susceptâ, ut decebat, Episcoporum causâ, Philippum Augustum aggreditur, multa interminatus, multisque adhortatus: (a) *Ne inter Regnum & Sacerdotium*

scanda-

(a) Libro I. Epistolarum Epist. 107.

scandalum oriretur; intentato quoque Apostolicæ censuræ metu, nisi Episcopis Regalia, aliâque omnia præter jus factæ (sic enim ferebat) occupata relaxaret: gravis sanè causa, in qua Rex Maximus (a) *censurâ cohibendus* esse videretur, sed interim Innocentius ad Episcopos scribit: (b) *Fra-
ternitati Vestræ consulimus bonâ fide, quatenus cum charissimo Fi-
lio nostro Rege, quando melius poteris, componere studeatis; quo-
niam arcus, qui semper est tensus, vires amittit, & nonnunquam
Reges melius vincuntur mansuetudine, quàm rigore.* Præclarè
ille quidem, ubi nullum fidei, nullum morum regulæ crea-
tum periculum est; sed particolare factum, inquit, nec
in exemplum trahendum; & tamen agebatur, uti prædi-
ctum est, non tantùm de Episcoporum factò, sed etiam de
Regalium jure, quòvisque pateret, quæ bona complecte-
retur, quâ formâ exerceri posset: sed hæc omittamus. Quid
Benedictus Duodecimus, unus omnium Pontifex & con-
stantiæ & prudentiæ laude ornatissimus? Is Philippum Va-
lesium Regem editâ Philippinâ multa (c) Regaliâ Juri ab
antiquo more diversâ velut inferentem gravissimis moni-
tis ab ea tutanda lege deterruit; sed præclarè functus officio,
ab negotio destitit; neque enim omnia urgenda Pontifici,
nec exactè semper ad minutos quòsque apices res Ecclesia-
sticas deducendas: Philippinaque ad nostra usque tempora
stetit incolumis.

Sed ne Vestræ Sanctitati molesti simus, postremum
commemoramus Bonifacium Octavum; nec tamen refri-
camus infausta illa dissidia, quæ nec sine lacrymis legi
queant: abeant illa in tenebras æterno sepelienda silentio.
Id de Bonifacio referre lubet, quod ad pacem conducatur,
quod dignitatem pariter atque clementiam Summæ Sedis

K k k deceat.

(a) Lib. 3. Epist. 40. (b) Lib. 3. Epist. 107. (c) Rainaldus ad ann. 1337. numero 17.

deceat. Grave erat Bonifacio à Philippo Pulchro, plenò etiam jure conferri Præbendas, seu Regaliæ, seu quovis alio titulo; nec tamen negabat Pontifex, imò profitebatur id fieri posse Ecclesiæ consensu tacito vel expresso. (a) Rex interim se possessione tuebatur; eo enim jure à se conferri Præbendas, quo à Majoribus, & à Sancto Ludovico avo datae essent. Rectè ille & ordine, ut videtur; satis enim constabat, reclamante nemine, eo jure usos: neque fraudi esse poterat optimis Regibus, quòd ad Jus Regium ea revocabant. Id enim Jus Regium esse, quod Coronæ Regiæ ab antiquo instum, coalitumque sit: atque ut ex simili rem conficiamus, an non Patronatus, quos vocant Laicos, ipsis quoque terris atque dominijs ex possessione inhærere, ac quasi temporalis juris loco esse constat: cum tamen id juris ex Ecclesiastica potestatis fonte profuerit nemo non fateatur? Quantò ampliora Regibus & Beneficentia, & propria Majestas conciliare potuit? Neque id Bonifacium juris consultissimum fugiebat; sed cum in ancipiti esse videretur, quatenus Juri Regio Præbendas conferendi Ecclesiæ consensus accessisset, quod dubium, quod illicitum reputabat Pontifex, de potestatis plenitudine concedebat, ac licitum faciebat: *Quid enim litigamus, inquit, volumus, ut Rex faciat licite, quod facit illicite: volumus super hoc sibi facere gratiam omnem, quam poterimus.* Sic quem nodum solvere ex Pontificis sensu, antiqua monumenta juraque non poterant, Apostolica potestatis gladio amputabat: atque id Bonifacius Octavus tot inter similitates conferre ultrò voluit in Philippum Pulchrum: quanta Innocentius Undecimus Benevolentissimus & propensissimus in Ludovicum Magnum? Neque

(a) Histoire du différent de Boniface VIII. & de Philippe le Bel page 90, page 93, page 78,

que verò ambiguum. quid Orbis Christianus expectet, si Pontifici Pontificem, Regem denique Regi componamus. Id tantum postulamus, ne plus æquo audiantur, qui in Jure Coronæ novas hæreses fingunt, nimis que intelligendo faciunt, nihil ut intelligant præposteri homines, qui quem exsufflant pulverem, ut præclare Sanctus Augustinus, in suos, aliorumque excutiunt oculos. Vestra verò Sanctitas hæc omnia supergressa, Christianique Orbis intenta comodis, tantas contentiones ex tenui ortas, sed in gravissima mala, nisi Deus avertat, aliquando erupturas, Apostolicâ auctoritate componat: pacem expetimus, pacem flagitamus, pacem, quæ Vestrum nomen tantâ pietatis ac sanctitatis laude omnibus Gentibus, ipsisque adeò Ecclesiæ hostibus clarum, venerandumque immortalitati consecratura sit. Sacis jam, superque Parens Optimus, Devotissimusque Filius repugnante animo altercantur. Nos quidem, Beatissime Pater, ut gratias agimus, quas possumus maximas, quod Jura quarundam Ecclesiarum, quæ nobis omnibus communia facit ipsa Fraternitas, facta rectaque esse vultis, ita nostrâ causâ concuti Orbem, Pacemque Christianam conturbari nolumus: quare eo quoque, quidquid inerat, jure decessimus: id in Regem Optimum atque Beneficentissimum ultrò contulimus: (a) *Et si forte propter Canonum rigorem minus licebat, factum est tamen, quia Ecclesiasticæ paci se expediebat; cum enim plenitudo legis sit Charitas, in hoc legibus obtemperatum esse credimus, in quo Charitatis opus impletum esse cognovimus.*

Quæ à nobis acta, si Vestra Sanctitas dignetur inspicere, probaturam esse pro sua æquitate confidimus. Sanè tummâ

Kkk 2

(a) Ivo Carnotensis Epistolâ 190.

consensione, pronaque omnium nostrum voluntate gesta esse testamur; cum praesertim nemo sit, qui rebus nostris intellectis, ac perpensis omnibus, quae recens nobis supplicanti- bus à Rege Maximo statuta sunt, non ultrò fateatur, plura & ampliora concessa, quàm dimissa, atque Ecclesiae causam Regiam aequitate ac liberalitate, meliore nunc omnino conditione esse: quamobrem obsecramus, ut quae à nostra humilitate, non modò publicae pacis intuitu, sed maximo Ecclesiae emolumento gesta sunt, quaeque Rex Maximus, tanto Religionis studio, tantaque omnium nostrum obtestatione concessit, Regijs Magistratibus nequicquam reclamantibus, sic Vestra Sanctitas complectatur, ut Sacerdotij Regni- que concordiam aeternum firmet & sanciat,

Quid enim luctuosius, quàm sub tanto Pontifice, ac tanto Rege, quorum consensione tot in Ecclesiam bona redundatura sint, per invisa & importuna dissidia eludi expectationem Orbis, & publica commoda retardari? Sanè ex quo Ecclesia est, Sede Apostolicà Regnòque Francorum nihil conjunctius fuisse, & maximo honori ducimus, & Vestri Antecessores libentissimè praedicant; hanc verò perpetuam conjunctionem animorum nostris quoque temporibus auctam oportuit. Quid enim videt Orbis Magno Ludovico majus? Quem Turcae favienti gravio- rem hostem? Quam expeditiorem manum? Quem animum promptiorem? Quem idoneum magis, quicum ea, quae Vos assidue pulsant, coercendi hostis, atque amplificandae Ecclesiae, communicare consilia? Quem ad ardua quaeque jam spontè currentem incitare possitis? Ne verò prohibeat Vestram Sanctitatem Ecclesiarum aliquarum haud tantis sanè motibus digna libertas: solet Ecclesia Christi quaedam

dam omittere, ut alia, eaque potiora seruet, multa quoque in melius ferendo, commutare. Ipsa Regalia quantum imminuta est, cum pij Principes à poriundis fructibus jam abstinerint, & gravissima onera alendorum militum ac Procurationum spontè remiserint, ut jam illi à nobis, si necesse sit, memorem animum suo quodam jure repoñcere videantur? Quid attinet commemorare in Episcopis atque Abbatibus eligendis, investituris, in iussionibus, permissionibus, assensionibus Regijs, in Episcopatuum & Abbatiarum concessione & dono, in Hominijs quoque & Sacramentis fidelitatis, (a) quàm multa primùm censuris gravissimis reprobata, mox ultrò concessa sint? Ipsa Apostolica Sedes, arx Ecclesiasticæ libertatis, quàm multa Principum in seipsam quoque jura tolerarit, imò aliquando concesserit, ipsam temporum moram excussa cervicibus, & in optimum statum spontè restituta? An ergò Ecclesia (a) *levitate usa est? fuitque in illa est & non?* Absit, sed satis sibi conscientia æternitatis suæ, ipsique veritati semper immobili animo adhærescens, aliquam sui parte humanis se rebus utcunque accommodat, nec tam temporibus, quàm animarum saluti servit. (b) *Hæc dicendo doctam Paternitatem Vestram non docemus, sed eandem consulendo & rogando monemus, ut ibi consilij & pietatis studeatis visceribus abundare, ubi fas non est, fortitudinem exercere.*

Quare, Beatissime Pater, ad sacros Vestros pedes ritè provoluti, atque Apostolicam Benedictionem expectantes, Summum illum Ecclesiæ, vestrique unici Primatûs Auctorem oramus, obsecramus, uti mentem Vestram ad pacis consilia inflectat, & quæ pacis studio, exemplo Majorum,

Kk k 3 jorum,

(a) 2. ad Corinthos cap. 1. v. 17. (b) Ivo Carnotensis Epistolâ 190.

jorum, Sanctitas Vestra gesserit, ea in Vestram gloriam, quam in Christo habetis, totique Ecclesiae utilitati vertat.

Datum Parisijs tertio Nonas mensis Februarij, anno 1682.

Obsequentissimi & devotissimi Filij ac Servi Vestri,

Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiastici
Viri in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani
Parisijs congregati.

Franciscus Archiepiscopus Parisiensis,
Præses.

*De Mandato Illustrissimorum & Reverendissimorum
Archiepiscoporum, totiusque Cætus Ecclesiasticus
in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani
Parisijs congregati.*

Documentum LIX.

Responsio INNOCENTIJ XI. Pontif. Max. ad
epistolam Cleri Gallicani.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiasticis viris, in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Parisijs Congregatis.

PAternæ Charitati, quâ charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum Regem Christianissimum, Ecclesias vestras, vos ipsos, & universum Regnum istud amplectimur, permolestum accidit, ac planè acerbum, cognoscere ex Vestris litteris die tertiâ Februarij ad Nos datis, Episcopos, Clerumque Galliae, qui corona olim, & gaudium erant Apostolicae Sedis, ita se erga illam in præsens gerere; ut cogamur multis cum lacrymis usurpare propheticum illud: